



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

119. An dispensatio super impedimento cognationis, vel publicæ
honestatis, non facta mentione de copula habita, sit subreptitia? Ex part.
5. tracct. 14. & Misc. 2. res. 28.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

ille; cui etiam adde Texedam tom.2.lib.4. tract.3. numer.9. & Portel in respons. moral. tom.2. casu.49. cuius verba hic non graubor apponere; sic enim affert. Si petatur dispensatio ad contrahendum cum consanguinea, & allegetur pro causa, quod copula praecessit, quae tamen reuera non praecessit, dispensatio nulla est, quia narratur vna tantum causa, & illa est falsa. In omni dispensatione Papae semper intelligitur haec conditio, si preces veritate nituntur. Et in hoc casu narrata vna tantum causa, & illa falsa, preces non nituntur veritate. Bonacina num.8. vbi addit, quod si petatur dispensatio à Papa ad contrahendum cum consanguinea, allegatis multis causis copulatis, videlicet, quia praecessit copula, & est peccatum scandalum, & infamia inde subortitura, valet dispensatio, etiam si copula non praecesserit: quia Papa solet illam dispensationem concedere ob solum periculum infamiae, quod ibi verè intercessit, & proinde preces veritate nituntur, licet illud de copula falsum fuerit. Adde quod quando narratur duae causae disiunctae, sufficit quod aliqua illarum sit vera, vt valida sit dispensatio. Ita Portel.

5. Vnde occasione huius questionis quaerendum est in generali, An si in ipsa petitione plures proponantur causae, debeant omnes, ad hoc, vt dispensatio valida sit, verificari? Affirmant aliqui apud Sanchez diff. 11. num.43. de dispens. gratiosa, scilicet, de contentiosa, quae ad lites incundae impetratur. Ratio, quia id indicat tacita clausula in omni dispensatione subintellecta, si preces veritate nituntur. vbi per preces intelliguntur omnes causae in petitione expolita.

6. Negant verò alij, quos sequitur ipse Sanchez num.44. Idque sequitur ex nostra doctrina. Nam sola expressio causae falsae finalis, quae si verè exprimeretur, non concederetur dispensatio, dispensationem irritat. Reliquae autem causae etiam si falsae sunt, dispensationem non irritant, eo quod adhuc illis verè applicatis, concessa fuisset dispensatio.

7. Vnde ad fundamentum oppositae sententiae respondit praedictam clausulam intelligendam esse de causa tantum finali, quae sola censetur substantialis ad dispensationem impetrandam. Neque refert, quod plurali numero exprimat, quia interdum causa finalis adaequata conlurgit ex pluribus causis partialibus. Hinc fit; vt si causae finales sint plures adaequatae, & earum qualibet concessa fuisset dispensatio, vna tantum vera sufficiat ad dispensationis validitatem. Secus quando sunt partiales integrantes vnam causam totalem adaequatè mouentem Principem ad dispensationem concedendam. Et haec omnia docet Amicus vbi supra; quae deseruiunt pro resolutione multorum casuum in dies succedentium.

8. Sed quia accedit sermo de copula, apponam dubium, quod ex Bonacina notauit Portel in resp. casus postius à Bonacina, de quo ipse ait sepius fuisse consultum, qui talis est: petat Petrus dispensationem à Papa ad contrahendum matrimonium cum Antonia consanguinea, cum qua habuerat iam copulam. Papa per suas litteras commisit Episcopo, vel Confessorio, vt in illo casu cum illo dispensaret. Sed antequam dispensatio executioni mandaretur ab Episcopo, copulam carnalem habuit cum eadem Antonia consanguinea. An litterae dispensationis illi rationem dispensationis, verum etiam pro copula habitae post petitionem antequam dispensatio executioni daretur ab Ordinario? Respondet Bonacina illius facultatis sibi committit posse dispensare. Ratio est, quia non inducitur nouum impedimentum

per superuenientem copulam, sed idem manet, cuius auferendi facultas datur Ordinatio: nam ex actibus pluribus eiusdem speciei in eodem subiecto fit vnum numero accidens. Secundo, quia irretitus aliquo impedimento non teneretur exprimere numerum actuum, per quos impedimentum contraxit, vt g. Irregularis non teneretur exprimere numerum actuum, per quos contraxit irregularitatem; vt quoties celebrauit existens excommunicatus: & citat ad hoc multos, & graues Doctores. Excipit tamen ille quando aliquis facit multa homicidia, per quae incurritur irregularitas: nam tunc in petitione dispensationis explicanda sunt omnia homicidia, quia tot sunt irregularitates, quot sunt homicidia. Et praeterea, quia ex stylo Curiae sic exprimi solet. Tertio probat, quia qui petit dispensationem voti à Papa, & Papa commisit Episcopo, vel Confessorio, vt dispensaret: sed is post commissionem Papae, sed ante executionem Episcopi, vel confessoris votum iterauit, potest adhuc huiusmodi dispensari in voto praedictae facultatis virtute: quod probat ex Suarez vbi citato, & Sanchez lib.4. Decalogi, cap.47. n.33. Bene tamen ibi aduertit, quod si hic qui petit dispensationem ad contrahendum cum consanguinea, postquam Episcopus, vel Confessor expeditur, dispensationem, copulam iterum habuit cum consanguinea; nondum contracto matrimonio, non poterit iam Episcopus cum illo dispensare, quia iam functus est munere suo. Et praeterea periam factam dispensationem sublatum est impedimentum, quod antea extiterat, non verò id quod denuò ortum fuit: & propterea si iste talis sic matrimonium contrahat, erit matrimonium nullum, quia contrahit cum vero, & nouo impedimento, Ita Portel.

RESOL. CXIX.

An dispensatio super impedimento cognationis, vel publica honestatis, non facta mentione de copula, sit subreptitia? Ex part.5. tract.14. & Misc.2. Ref.28.

Sup. contentis in hoc titulo in duabus Ref. seqq.

§.1. VT alibi notauimus, communiter negatiuam sententiam docent, quam tenet Sanchez de matrim. tom.3. lib.8. disp.25. numer.4. Gutierrez in 199. Canon. lib.1. cap.23. num.15. Menochius de arbitrariis cas.501. Garfias de beneficiis, tom.2. part.8. cap.3. num.64. & 66. adducunt Concilium Tridentinum sess.24. c.5. de reform. mar. & c.2. de eo, qui cognouit confosser. sua.

2. Non desinam tamen hic adnotare, negatiuam sententiam quoad impedimentum publicae honestatis docere Henriquez lib.12. cap.3. num.8. in glossa lit. P, & postea doctus Ochagavia de Sacram. tract.4. de marr. quest.11. concl.2. num.14. vbi ait, quod praedictum decretum Concilij tantum intelligitur de his, qui cum impedimento dirimente, consanguinitatis, & affinitatis laborarent, & non alio, matrimonium ausi sunt contrahere, & probat hanc sententiam. Primò ex quadam declaratione Cardinalium relata à Marzilla lib.3. de consanguin. cap.3. in qua Cardinales declarantes illud verbum Concilij, si dispensationis careat, sic inquirunt. Quando scilicet impedimentum prouenit ex consanguinitate, & affinitate, non autem ex impedimento iustitiae publicae honestatis, ad quod prohibitio haec non se extendit. Secundo probatur, quia personis impedimento consanguinitatis & affinitatis ligatis frequentius accidunt dicta matrimonia; ergo conueniens fuit ea strictius prohibere, leges enim malis frequentioribus sua solent adhibere remedia. Ita Ochagavia.

RESOL.

LA NAE
omnia
TO. III. IV. V
E. III

Sup. hoc Ref. no. praecit.